

hujus vel imprudentis, vel malevoli, myropolæ confilium secutus, & hujus & aliorum remediorum usum respuit, sicque quotidie aucto morbo, post tertiam fere ab habito Consilio septimanam interiit ex morbo ingravescente, qui forte dictis remediis vel salvari potuisset, vel certe aliquamdiu conservari in vitâ sic valuisset.

RESOLUTIO.  
CAPUT PRIMUM

De

MORBI HUIUS SIGNIS  
DIAGNOSTICIS ET SYM-  
PTOMATIBUS.

**M**Orbus, ex quo noster Æger laboravit, fuit Hydrops Pectoris, ortus à colluvie serosa, sive collectione feri præternaturali in thoracis cavitate. Accessit tandem oedema pedum atque Ascites Hydrops, antequam Scena clauderetur.

Partes affectæ sunt cavitas thoracis ipsique pulmones quo ad superficiem suam & vasa lymphatica ambientia, reliquaque vasa serosa & lymphatica pectoris; eminus etiam possent dici partes affectæ reliqua viscera, imo ipse sanguis dyscrasia serosa laborans.

Signa diagnostica jam sequuntur, quæ in hoc ægro fuerunt manifesta.

Merito vero distinguunt Medici in signa hydropis pectoris incipientis & confirmati, cum incipiens multa signa habeat

habeat dubia ac cum aliis morbis communia, unde difficilius cognoscitur in initio, licet tum facilius curari possit; Confirmati hujus morbi signa satis sunt manifesta, certiusque ejus præsentiam indicant, licet tum difficillime sit curabilis. Morbum hunc, cum rarior ante sit habitus, propter minus excultam Anatomiam Practicam, Antiquiores minus accuratè descripsere; Recentiores vero melius ex cadaverum aperturis perspexere, sicque observatum est, eum frequentius in Praxi observari, quam quidem antea creditum erat. Inter Vereres jam HIPPOCRATES illius satis accuratam fecit mentionem, ut postea videbimus; inter Recentiores vero plures eum excusserunt, inter quos maximè laudem promeruerunt VRATISLAVIENSES Medici Doctissimi in *Observationibus Practicis de Hydrope Pectoris*, in quibus de signis & causis occultioris hujus morbi ac curandi ratione egregiè disseruerunt, ac solida eruditione morbi hujus Historiam, Causas ac Therapiam exposuerunt. Præterea G. W. GILG Dissertationem de nostro affectu brevem, nervosam tamen, edidit; accedit Celeberrimus GOHLIUS in *Actis Medicorum Berolinensium*, Decade prima, Volum. Decimo, ubi de *Hydrope Pectoris*, ejusque frequenti causa, polypis cordis, agit, Orthopnoeam inde ortam describit, atque Cautelas Practicas nobiliores addit; plures sparsim de eo egerunt, ut WILLISIUS, SYLVIUS aliique; Nos vero maxime hos tres Authores de hoc Affectu legimus atque excussimus; non vero vel omnia vel pleraque, quæ ab allegatis Authoribus copiose tradita sunt, adferemus vel exscribemus, ne actum agamus, aut Dissertationis Academicæ limites transiliamus; ea solum, quæ ad Casum nostrum illustrandum conferre videbuntur, allaturi. Signa imminentis & incipientis mali ab Authoribus sequentia notan-

notantur ; præcedit , ut etiam in ascite fieri solet , fere angustia quædam circa præcordia & molestia , quam ægri verbis convenienter exprimere aut describere satis vix possunt , nec semper Medicis in proclivi est conjicere , anxietates illas præcordiales minari collectionem aquæ in thorace ; respiratio sentitur difficilis , licet non ut in Asthmate aut orthopnoea , sed multo levior , non tamen in uno eodemque gradu , sed mox major , mox minor , pro ventriculi à cibis aut flatibus majori vel minori distensione. Respiratio hæc difficilis etiam est in quiete , difficilior tamen scilas aut acclivia ascendenti ; loquela & cantus fit difficilior ; tussis in initio vix ulla , dolor tamen plus vel minus sensibilis in alterutro latere thoracis , aut ad scapulas , continuus quidem , sed lenior , non atrox aut punctorius ; fluctuationis sensus in initio vel levior vel obscurior ; accedit lumborum dolor , lassitudo spontanea , flatuum copia , aliaque signa morbis aliis communia , quæ vero attento Medico possunt esse pathognomonica , licet non summa eorum sit evidentia ; interim tamen quomodo ab aliis pectoris morbis , pleuritide , phthisi , peripneumonia , asthmate , dyspnoea , orthopnoea , empyemate , vomica pulmonum possit distingui , §. VII. Dissertationis suæ bene tradidit GILG , qui videri potest. Confirmati morbi signa magis clara & manifesta sunt , atque hæc sunt sequentia : Primò , incommoda magna circa respirationem sentiunt , in quo hi ægri conveniunt cum asthmaticis ; dixit vero in specie HIPP. *Lib. Secund. de Morbis* , quod acervatim sive confertim respirent ; quo ipso patet , significari respirationem difficilem , crebram & frequentem , qua strangulari æger videtur , quod alias cum asthmate humido non convenit ; imprimis verò certiozem diagnosin morbi constituit illa respiratio , quæ difficilis , secundum

BAGLIVIVM, *Praxeos lib. prim.*, si vesperi hora somni sed præcipue post tres aut quatuor horas somno impensas derepentè expergiscitur æger, quasi suffocatione correptus, atque fenestras aperiat, liberumque aërem desideret; hunc pro certo pectoris hydrope laborare asserit, multoque magis, si cum eo pedes aut manus tumere ceperint, cum faciei inflatione, & præ cæteris, si accedat torpor, seu incipiens brachii paralysis; ast ante BAGLIVIVM hoc modo egregiè inculcavit CAROLUS PISO, Nobilis Scriptor, in *Obs. & Consiliis de prætervisis hætenus morbis à Serosa Colluvie ortis Sect. 3tia Cap. 7imo* his verbis: *Signum pathognomonicum statuere oportet, eam in spirando difficultatem ac crebritatem, quæ subito somni primo tempore invadat, & quiete defraudet, sed tamen procedente die sensim lentescat.* Idem confirmat LAZARUS RIVERIUS, tum & HEREDIA, ac CHRISTIANUS HELWIG in *Observationibus Vratislaviensibus*. Secundò, Alterum signum est aquarum fluctuatio & sonitus in pectore, quod confirmat GOHLIUS *loc. cit.*, licet aliquando obscurius hoc sentiatur, teste GOHLIO in Italo, ut & apud nostrum ægrum, in quo & prius signum manifestius erat. Cum hoc signo adest doloris & ponderis sensus in diaphragmate, unde spiritus difficiliter trahitur, quoties corpus erigitur aut movetur. HIPPOCRATES jam observavit, dicitque, quod si multo tempore aure ad latera adhibita audire tentaveris, ebulliat aut strepat intus, quasi acetum. Quomodo vero hoc signum, quod cum empyemate commune habet, hic hydropem pectoris indicet, jam HIPPOCRATES monuit, & VRATISLAVIENSES optimè indicarunt. Tertium signum est Tussis, sicca ut plurimum, qua nec humida sputa, ut in asthmate, nec purulenta, ut in empyemate & phthisi, rejiciuntur, unde nec expecto-

pectorantia libe  
Quartò, accede  
& aliquando fac  
seroti; palpebr  
Tumorem man  
& P. SALIUS  
Febris, in init  
sciente malo in  
Sextò, aliquat  
inierioribus,  
ungues incur  
Socero suo,  
BRUNNERU  
palpitationes  
frequenter v  
admit, ubi  
tur CRATO  
peratorem,  
polypo cordis  
borisse; hinc p  
non immento W  
atque crebros  
puero trienni  
aqua plenu  
II. Cap. III. Ta  
qualis, teste B  
HELWIGIO, h  
quò etiam p  
BAVIUS ton  
iterum id jan  
VERIUS licet  
facile frigan

expectorantia liberiores reddunt spirandi difficultatem. Quartò, accedit œdema pedum, ac deinde manuum, imo & aliquando faciei, dorsi, imo & tandem abdominis & scroti; palpebras inferiores inflatas vidit FONSECA; Tumorem manus & brachii & VRATISLAVIENSES & P. SALIUS DIVERSUS notarunt. Quintò, accedit Febris, in initio levior, imo aliquando vix ulla, incremente malo ingravescens, à corruptione stagnantis feri. Sextò, aliquando exarescunt superiores artus, tumentibus inferioribus, ac accedit hectica, unde HIPPOCRATES unguis incurvari & contrahi scripsit, ac idem accidisse Socero suo, Clarissimo WEPFERO, noravit Illustris BRUNNERUS in *Memoria Vvepferiana*. Septimò, cordis palpitationes accedunt, quod tamen non semper adest; frequentius vero, teste GOHLIO, si polypi cordis simul adsint, ubi & Tremor quasi cordis observatur; sic testatur CRATO in *Epistolis*, Maximilianum Secundum Imperatorem, qui Hydrope pectoris obiit, complicato cum polypo cordis, ultra viginti annos cordis palpitatione laborasse; huic palpitationi accedit sæpe lipothymia, quam non immerito WILLISIUS inter signa diagnostica retulit; atque crebrorum animi deliquiorum meminit. Idem de puero trienni, qui defunctus Medicorum oculis pectus aqua plenum obtulit, testatur TULPIUS, *Observ. Lib. II. Cap. III.* Tandem accedit pulsus intermittens aut inæqualis, teste BALLONIO, FONSECA, BRUNNERO, HELWIGIO, licet GOHLIUS hoc solum adesse judicet, quando etiam polypi cordis adsunt. Ultimò recenset BAGLIVIVS torporem & incipientem paraly sin brachii alterutrius: id jam observavit CAROLUS PISO & RIVERIUS, licet non in omnibus observetur, nisi quod facile frigeant in extremis, aut & sudoribus frigidis admo-

dum infestentur. Hæc signa sunt manifestiora confirmati morbi, ac diagnosis ejus satis accuratam constituunt, quæ cum pleraque in nostro ægro adfuerint, nullum fere relinquunt dubium, quin vere hydrope pectoris laboraverit, ab eo semel curatus, sed post semestre, vitio sex rerum non naturalium, recidivam passus inde interierit. Reliqua signa minus sunt certa, sic in aliquibus appetitus est bonus, in plerisque dejectus, in multis asthmaticum paroxysmum exasperavit cibus largior, quod WEPFERO accidit; aliquibus alvus & urina ritè fluunt, in aliis utraque excretio est difficilior; morbus in aliquibus admodum est chronicus & per annos miseros ægros mulctat, in aliis brevioris est periodi; aliqui inde ex improvviso quasi suffocati pereunt, aliquibus ante mortem succedunt vomitus, atque aliquando limpidam ore reddunt aquam; quam quidem VRATISLAVIENSES credunt, ad ventriculum abiisse, facta serosæ colluviei metastasi; at quibus viis, nesciunt; docuit vero GOHLIUS *loc. cit.*, quod detur feri intra cavitatem thoracis extravasatio per parenchyma pulmonis, cum membrana sit tenuis, & spongiosa illorum substantia, aqua stagnando acris fiat, ac idem in Empyemate sæpius observetur, dum pus acre pulmones erodit & anacatharsi ejicitur. Atque hæc de signis diagnosticis & pathognomonicis morbi difficilis, tam inchoati, quam radicati, sufficere arbitror, neque opus judico probare multis, quod æger noster morbo eo laboraverit, cum plurima manifesta ejus habuerit signa & symptomata.

CAPUT

CAPUT

OBSER  
TOME  
HYDP  
Ostiquat  
modo n  
etiam fo  
decti

esse adeo rarum

multo perfecti

Invenere M

sic CAR. PISO

pectus aqua pura

TH. BARTHOL

dro delinbit repe

tere arte pleura

bruides aliquo

que fontis instar

moderant, &amp;

Aliquando aqua

lemis paracoe

SIUS serum san

RONDIUS

ac nihil hinc est

CKIUM legum.

## CAPUT SECUNDUM

De

OBSERVATIS EX ANA-  
TOME PRACTICA IN  
HYDROPE PECTORIS  
DEMORTUIS.

**P**ostquam ex viventium relatione, & autopsia, quomodo morbus dignoscatur, indicavimus, oportet etiam scrutari, quid in mortuis cultro Anatomico detectum fuerit, cum inde patuerit, morbum non esse adeo rarum, ac quis crederet, ac istius cognitio/inde multo perfectior facta fuerit.

Invenere Medici aliquando aquam puram, liquidam, sic CAR. PISO *lib. cit. sect. 3. cap. 7.* in Canonico quodam pectus aqua pura in stupenda quantitate plenum reperit: TH. BARTHOLINUS *Hist. Anat. Cent. 2. Obs. 66.* in Flandro describit repertum, tunicam pulmonum in utroque latere arcte pleuræ adnatam, ac inferiore loco ad diaphragma hydatides aliquot ingentes limpida aqua repertas formasse, quæ fontis instar thoracis dextram partem copia aquarum inundaverant, & thoracis hydropem acciverant.

Aliquando aqua hæc mucilaginosæ & crassæ est, qualem post paracenthesin invenit LOWERUS & WILLISIUS. Serum sanguineum in thorace in multis invenit RONDELETIUS; Aliquando serum flavum, citrinum ac instar lixivii est, ut apud BONETUM, ac SCHENCKIUM legitur, qui & de subviridi aqua inventa scribit,

ut & nigricantem COITERUS invenit. Lympham ex viridi citriam conspexit BLANCKARDUS; aquam spumofam HERCULES SAXONIA.

Aliquando aqua salta & acris reperta est, erodens pleuram & diaphragma, ut à FR. SYLVIO, teste BRECHTFELDIO in *Eph. Nat. Cur.*, qualem acrimoniam & gustum deprehendit BORRICHIVS in triplici hydrope in *Act. Haffn. Vol. 1.* Aliquando Authores aquam hanc notarunt foetidam & graveolentem, plurium librarum pondere, imo & purulentam, ut BAUHINUS, SALMUTH, HARDERUS. Ac hæc de qualitate.

Quantitas etiam diversa inventa est feri; duas libras ejus in cavo pectoris reperit OTTO HEURNIVS, quatuordecim vero librarum meminit SCHENCKIVS, imo tantæ copię, ut vasa aliquot ænea repleverit. Aliquando ob copiam aquam in abdomen protrusam post HIPPOCRATIS scripsit JACOTIVS. Imo ipsos etiam pulmones replet, ac bronchia occupat, sic CL. LUCAS TOZZI in cadavere hoc genere morbi interempti pulmonem sero glutinoso vidit ita distentum, ut universam pectoris capacitatem occuparet. Unde cum SEBIZIO, BOERHAAVIO, Aliisque inter hydropem pectoris & pulmonis distinguendum esse censemus, licet morbi sint cognati & sibi facile succedentes, unde nos utrumque hoc loco pertractamus. Pericardium etiam aqua simul repletum observatum est, de quo malo vero hic non agemus, id tantum notantes, quod contra autopsiam Anatomicam scripserit JUNCKERUS in *Consp. Med. Theoret. Praët.*, *hydropem pericardii, rarissimum affectum, in artificum magis inventis, quam natura operibus quarendum esse.* Jam etiam, quomodo viscera post mortem se habuerint, dispiciendum est. Pulmones plerumque male affecti observati sunt, sæpe coarctati, ut in

WEPFE-

WEPFERO, aliquando duri, ficci, scirrhusi; retorridos & purulentos reperit CAR. PISO. Tubercula & hydatides in iis jam advertit HIPPOCRATES. Putres HARDERUS vidit, Alii sphacelatos, Aliqui callosos, ac crassis membranis donatos. Cor sæpe simul flaccidum, hepar tumidum, induratum, lienem durum, renes ulceratos Alii notarunt. OTTO HEURNIUS pleraque abdominis viscera male affecta simul, & strumis ac glandulis induratis scatentia reperit, de qua insigni observatione Anatomica videantur VRATISLAVIENSES *loc. cit.* At ne plane sine aliqua simili Observatione, morbi indolem illustrante, finiam hoc Caput, ac solis aliorum observatis repleam, addam quæ ab Fautoribus communicata sunt, cum ipsi mihi hæctenus defuerit occasio, in mortuis morbum hunc rimandi. Scripsit nuper ad Cl. Professore & Promotorem meum Cl. BOEHMIUS, Consiliarius Medicus Ser. Elect. Palatini, & Practicus Dusseldorpiensis Celeberrimus, (idem ille qui ægro, cujus Casum elaboravi, prudenter pilulas ex gummi guttæ & Extract. panchym. Cr. dandas suaserat) se secuisse in Nosocomio cadaver hominis, qui summa anxietate circa præcordia, difficultate respirationis, vomitu per consensum, etiam hæmorrhagia narium, & asthmate convulsivo-suffocatorio per quatuordecim dies laboraverat, ac antea tolerabilius vixerat, nisi quod de palpitatione cordis sæpius conquestus esset; in hujus auricula dextra cordis reperiebatur polypus crassitie & longitudine crassioris ac longioris pollicis; in utroque cordis ventriculo etiam duo erant polypi, majores, sed tenuiores prioribus, & duo longiores in medio concreti & quasi contorti, lumbricorum instar, in vasa pulmonalia se extendentes; pulmones erant atri, crassi, ponderosi, à stagnante sanguine, ita ut & frustum aquæ injectum subsideret;

deret; ipso pulmone discisso inde copiosa effluebat aqua, qualis aqua etiam ante sectionem & ore & naribus exfiltrat, quando thorax comprimebatur. In pectoris cavo erat aliqua aquæ portio, multo vero major in pericardio; Renes erant candidi; cætera se bene habebant. Atque hæc Obs. in multis convenit cum GOHLII illa, *loc. cit.*, ubi & polypos adfuisse asserit.

Alium Casum communicavit Cl. D. D. SCHUMACHER, Physicus Comitatus Marcani & Practicus insignis Mattnegensis, Fautor meus singularis. Mortuus est anno 1730. d. 9. Martii miles, Henricus Hiegehan, quinquaginta circiter annorum, quem die sequenti cum Chirurgo Legionis aperuit D. D. SCHUMACHER. Miles hic primo laboraverat febre tertiana cum sensu incommodi in dextro hypochondrio, quæ postea cessavit & in febrem hecticam mutata est, cum tussi, qua dein & aliqua quantitas sanguinis evacuabatur. Somnus erat valde paucus & impeditus, neque poterat in ullo latere quiescere, sed semper in dorso recubuit; in fine accessit orthopnoea & magna anxietas, appetitus fere defecit, facies accessit Hippocratica; lumbi ulcerati; tumuit abdomen cum pedibus; tumor œdematosus pedum tandem ruptus est, ac tribus septimanis ante mortem omnis aqua effluxit, usque ad subsidentiam abdominis, scroti & pedum. Ex dextro pede major quantitas aquæ effluxit, quam ex sinistro; Sex vel septem diebus ante mortem aquæ fluxus cessavit; die ante mortem adhuc hausit tabaci fumum, ast cibi nihil assumere potuit, sed parum vini interdum assumpsit. Tandem post magnas angustias obiit. Post mortem secto altero die cadavere sequentia inventa sunt: in abdomine quinque libræ aquæ circiter reperiebantur; hepar & lien nigra erant; in fellea vesicula tamen aderat bilis; in ambitu renum mu-  
cus

cus loco pinguedinis aderat ; omentum fere erat consumptum & loco pinguedinis mucum continebat, ventriculus erat contractus ; vesica aqua erat repleta, ut & pelvis ; pancreas nonnihil induratum erat ; intestina erant inflata, præcipue colon & cœcum, in thorace pulmones contracti, cavitas pectoris & pericardii aqua multum repleta, ita ut pericardium ultra tres uncias, & pectus mensuram unam & dimidiam aquæ contineret ; in pulmonibus quædam tubercula reperiiebantur ; Cor erat aliquomodo contractum, & sanguine vacuum, sed auriculæ & sinus cruore repleta ; alias exigua quantitas sanguinis in vasis reperiiebatur ; supra pericardium mucus loco pinguedinis. In capite, cranio ablato, sub dura matre aderat aqua mucosa ; sub medulla oblongata, inter plicas cerebri, & supra cerebellum etiam aqua aderat. Inter piam & duram matrem tam cerebri, quam cerebelli, ac in ventriculo quarto itidem erat aquosa colluvies. Unde patuit satis mortis causa, serosa in toto corpore colluvies, ac simul in pectore & pericardio. Plura ex aliis Authoribus observata in cadaveribus possem adferre, sed omnes excutere non libuit. Suffecerit indicasse, quod in TH. BARTHOLINI. *Act. Haffniens. vol. V. Obs. 13. p. 32.* scribatur in ancillæ simul ascite defunctæ cadavere 120. libras aquæ in abdomine repertas fuisse. Idem *Vol. V. Obs. 27. p. 90.* notat, quod in cane, hydrope thoracis demortuo, magnæ aquæ quantitas in thoracis cavo reperta fuerit. Ibid. *Obs. 33. P. 116.* refertur de muliere, hydrope thoracis, hydrocardia, & ascite defuncta, ubi in thorace & pericardio magna quantitas aquæ, ac in abdomine sex vel septem libræ ejus repertæ fuerint. Porro *Act. Haffn. Vol. 2. p. 37.* quoque exempla hydropis thoracis & pericardii reperiuntur. De Pectoris hydrope Ibidem exemplum est. *Obs. 118. p. 297.*

D

At

At plura non addemus. Conveniens vero, imo utilissimum judicavimus hæc ex demortuis observata copiosius exponere, quia ad morbi indolem accuratius perspicendam, & causas proximas feliciter eruendas facem præferunt, ad quas sequenti Capite luculentius exponendas nunc transimus.

## CAPUT TERTIUM

De

# CAUSIS HYDROPI PECTORIS PROXIMIS ET REMOTIS.

**C**Ausæ morbi diri jam sunt examinandæ tam proximæ quam remotæ; inquirendum enim est primo, quinam sint fontes feri in thorace depluentis, & deinde, quæ causæ inducant hanc effusionem feri vel lymphæ specialius in cavum pectoris. Proxima causa videtur esse effusio feri vel lymphæ, vel & transudatio per vasa lymphatica & serosa in pectore rupta, vel dehiscentia, unde vel sensim depluit, vel citius effunditur humor in cavo pectoris, ac diaphragmati incumbit, donec evadat sensim ingens serosa colluvies; possunt etiam hydatides pulmonum hunc morbum inducere, quibus tandem ruptis lymphæ in cavum thoracis colligitur; lymphæ & serum possunt peccare atque sic morbum hunc inducere, vel qualitate, vel quantitate, vel motu; Sic qualitate acri eroduntur tenues tunicæ lymphaticorum vasorum; quantitate sæpius peccat in hominibus plethoricis, quibus facile

facile sanguinis libero transitu impedito , fit secessio feri à sanguine , & hinc sensim serosa colluvies ; potest etiam motu peccare lymphæ , quando ipsa nimis spiffescit , unde stagnans rumpit vasa , vel quando comprimuntur ejus vasa à vasis sanguineis , pinguedine , tumore , aliisque causis. Ut lymphæ , sic & serum peccare potest , ac vasa serosa eodem modo affici ac lymphatica ; factum hinc est , ut aliquando serosus magis , aliquando magis lymphaticus in pectore repertus fuerit post mortem humor. Non opus vero est statuere semper rumpi vasa lymphatica , cum sola secessio feri hoc malum inducere possit ; præterea certum atque indubitatum habemus , solam obstructionem vasorum resorbentium in pectore hunc morbum inducere posse ; notum enim est ex Theoreticis , uti in abdomine , sic & in pectore semper hæere humorem aliquem roscidum , vaporosum , vasis lateralibus exhalantibus emissum , motum pulmonis adjuvantem & concretionem pulmonis cum pleura impediens ; jam si vasa resorbentia obstructa sunt , fit pectoris hydrops ; quod vero vasa lymphatica copiosissima pulmones ambiant , præter alios docuit LOWERUS in *Tract. de Corde* ; Credunt etiam aliqui , cum WILLISIO rupturam ductus thoracici posse inducere hunc morbum , quod vero rarissime , si unquam , fieri credimus ; patet hinc clare nostrum assertum materialem morbi causam esse lympham , vel serum , vel & humorem exhalantem non resorptum , quem nos frequentissimam causam statuimus , rarissime vero chylum. Causa vero antecedens extravasationis horum humorum quærenda est vel in humoribus ipsis , vel in vasis ac visceribus , vel in utrisque simul ; sic accusavimus lymphæ spiffitudinem , unde illius reditus in vasa sanguinea , vel resorptio impeditur ; Spiffa hæc lymphæ primum obstruit tenuiores meatus , eorum

robur humiditate sua enervat , ac ad continui solutionem disponit ; fit vero spissa lymphæ maxime ab illius remora , & transitu impedito , quod maxime videtur fieri in hepate , transitu lymphæ per illud impedito , unde fit , ut vitia hepatis & in ascite & in hydrope thoracis post mortem observata fuerint . Acrimoniam etiam accusavimus , quæ tamen rarior est ; vasorum vitia hanc calamitatem inducere possunt , si nimium illa constringantur , unde ab astringentibus nimium usurpatis & hunc morbum , & ascitem , sæpius ortum notarunt Authores ; viscerum vitia etiam hunc morbum inducunt , ut infarctus hepatis , lienis , pulmonum hydatides , vel & pulmonis nimia adhæsiō ad pleuram ; sed de causis proximis & antecedentibus hæc sufficiant . Possemus quidem ex Anatome Practica & Observationibus Authorum , qui subtiliùs hoc negotium excusserunt & in cadaveribus hoc morbo demortuorum rimati sunt , ulterius hæc omnia confirmare , sed cum brevitati studeamus , ac subtiliori Pathologiæ nos immiscere nolumus , ad VRATISLAVIENSIIUM & GOHLII Observationes Caputque præcedens Lectores remittimus . Id tantum notantes , quod præter alias causas GOHLIUS polypos cordis morbum hunc inducere sæpius observaverit , & ossificationem aortæ , ut in WEPFERO BRUNNERUS , aliorumque vasorum alii , ansam morbo dedisse observaverint . Causæ remotæ jam sunt explicandæ , ubi maxime abusus rerum sex non naturalium varii hunc inducere possunt , imo & ipsum temperamentum sanguineum & phlegmaticum tum omni hydropi , tum etiam huic nostro , de quo nobis sermo est , homines facile facit obnoxios , sed sex rerum non naturalium examen instituamus , ubi primo aër inquirendus , qui , si crassus & nebulosus est , ansam dare huic morbo potest , tum & uliginosus , paludosus & mariti-

maritimus, unde talibus in locis hydrops frequentior. Frigidus aër etiam nocet, unde & Ægro nostro simul cum aliis causis recidivam induxisse videtur; quo ad cibum & potum notamus, quod uterque vitiosus vel copiosior morbum hunc inducere possit, nam ingluvies nimia facile hunc morbum inducit, imprimis, si cibi sint visceri vel falsi, vel & nimis acidi, quorum Catalogum recenset GILG *loc. cit.*; pinguia etiam & cruda hic nocent; BOERHAAVIUS à pinguium abusu observavit rarissimum & exitiale in pectore steatoma in Marchione de Sancto Albano, videatur ejus *Morbi Atrocis Historia altera*. Potus etiam frequentissime hunc morbum inducit, imprimis insalubris, ut aqua ex nive resoluta, potus frigidus æstivo tempore calefacto corpore sumptus, nimis quoque potus vini & cerevisiæ, imprimis crassioris aut recentis, nec satis defœcatæ, hoc malum induxit; abusus sp. vini & omnium aquarum ardentium multos ut in hydropem, sic & in hunc morbum facile præcipitat homines; facit huc etiam somnus nimius, præcipue à prandio, & quies multa, imprimis in multum edentibus & bibentibus. Frequentissime vero retentio excretorum morbum hunc inducit, ut maxime urinæ, sudoris & perspirationis, unde externæ refrigerationes adeo nocivæ sunt, imprimis calefacto corpore per vini potum, quam etiam maximam in nostro ægro morbi inducti credimus fuisse causam; passionibus animi possunt etiam aliquid contribuere, ut tristitia & ira; dantur præter has remotas & aliæ causæ, ut gravis lapsus, aut vehemens corporis motus, unde vasa lymphatica in pectore rumpi possunt; potest etiam morbus hic succedere aliis morbis, ut mensium & urinæ suppressioni, Asthmati, polypo cordis imo & scorbuto; potest etiam aliis hydropis speciebus accedere & succedere, uti rursus œdema pedum & ascites

huic morbo succedit, uti in nostro Ægro factum videtur; Tandem mala digestio & sensim inducta ventriculi atonia à mala diætata diu continuata, ut in nostro ægro, morbum hunc inducit; statuimus ergo in præsentî casu morbum hunc ortum fuisse, primò, propter temperamentum maxime sanguineum prægressum, plethoram, obesitatem, malam diætam, perpotationem, corporis calefacti refrigerationem, organorum debilitationem; unde non mirum ob tam multas causas procatarcticas, & proëgumenas, morbum hunc hic successisse, semel curatum rediisse, atque tandem lethalem fuisse. Possêt etiam huc trahi Hydrops Pericardii, sed quia is singularem pertractationem meretur, nec nobis diffusioribus esse lubet, de eo jam non agemus; nec huc trahemus rarissimam illam Historiam Morbi atrocissimi ac lethalis, nunquam hæctenus descriptam, de Barone Wassenario, à Clarissimo BOERHAAVIO singulari Schediasmate expositam, cui post commestationes & vomitoria frequentia tandem œtophagus supra ventriculi orificium sinistrum disruptus ita est, ut omnia assumpta solida & liquida magna copia in cavum thoracis illapsa sint, immedicabili malo, ac brevi lethali, quod detexit Anatome Practica, vid. *Ejus Morbi Atrocis Historia Prima &c.* Jam etiam paucis præcipuorum symptomatum ratio Pathologicè exponenda est. Diximus sensum molestiæ & gravitatis circa præcordia diu infestare ægros, ac respirationem sensim fieri magis difficilem, quod deducimus ab aquæ copia in pectoris cavo impediente liberam pulmonum in inspiratione expansionem; ponderis etiam sensus ab aqua diaphragmati incumbente oritur. Quæritur vero, cur maximè sub somno major angustia & respirationis difficultas oriatur, cujus rei WILLISIUS, LISTERUS, & ex illis VRATISLAVIENSES, licet alias

alias causas adducant, nobis videtur esse ea ratio, quia versus noctem perspiratio minuitur, tum etiam quoniam sub somno vitalis tantum continuatur respiratio, non sufficiens impedimento avertendo, nisi accedat voluntaria, quæ in vigilantibus vitalem adjuvat, respiratio. Pulsus est inæqualis & aliquando intermittens ab impedimento in pulmonibus & turbata circulatione, dum in corde & pericardio compresso ab aqua etiam potest fieri remora, vel impedimentum occurrit in libero influxu & exfluxu sanguinis in corde, ob aquam comprimentem vicina; intermittens pulsus etiam causam antea vidimus esse posse polypum cordis. Ex iisdem causis videntur deducendæ cordis palpitationes & tremores, imprimis si accedat Hydrops Pericardii, aut illius compressio ab aqua pectoris, aut si aqua acris stagnando in loco calido facta irritaverit cor, ejusque vicinas partes. Lipothymia & summa debilitas etiam à compressione deduci potest, tum & à polyposa concretionem, vel subita effusione aquæ hydatidibus in cavum thoracis, vel humore putrescente fœtido, halitibus suis infestante cor, sic observavimus hominem post peripneumoniam gravem superatam incidisse in asthma ab hydatidibus pulmonis, cui subito effusa aqua in cavum pectoris omnia symptomata hujus morbi cum lipothymia subito intulit, qui deinde œdematosus & fere asciticus factus est, licet pro tempore in primo insultu mali à venæsectione aliquod sentiret levamen. Tussis oritur ab aqua acri facta, diaphragma & pulmones irritante, unde quo magis acris fit aqua, eo magis infestat tussis, præcipue sicca, ut in empyemate à pure acri tussis exasperatur; humida potest fieri tussis ab aqua transudante per pulmones, quem transitum quidem aliqui negant, GOHLIUS vero asseruit fatis, nec video hoc fatis negari posse, cum pleuriticorum

corum sputa & empycorum purulentam materiam sæpissime per pulmones expectorari experientia confirmet practica. Febris oritur in invalescente malo partim ab obstructione viscerum, partim ab ulcerationibus ambientium partium ab acri sero jam factis, partim etiam, ut mihi videtur, à resorpto acri tenuiori liquamine, humoribus misto. Paralysis & Torpor brachiorum, tum & tumor, ab vasorum sanguiferorum & nervorum compressione deduci potest, imo & humorum visciditate, atque immeabilitate & refluxu impedito, unde & œdemata pedum accedunt, & sæpius ascites, imprimis si labes abdominalium viscerum accesserit; frigus extremorum fit ab impedito influxu & stagnante sero in extremis, tum & à visciditate humorum, ac quia pulmones suo non funguntur officio, unde cachexia oritur, quam asthmatis diuturno etiam succedere frequentissime observatur. Reliqua symptomata ex iisdem causis commode satis explicari possunt, sed nos brevitati studentes ad prognosin examinandum transitum facimus.

## CAPUT QUARTUM

De

## P R O G N O S I.

**P**rognostica signa sequentia sunt. Est morbus hic creditus quidem rarior, sed sane frequentior, quam plerique Medici putant, ut ex Praxi ipsa testatur GILG *loc. cit.* & ex incisionibus cadaverum ex pluribus Authoribus & BONETUS in *Sepulchreto*, & VRATISLAVIENSES *loc. cit.* satis bene notarunt; sciendum vero est, omnem quidem pectoris hydropem periculofum

culosum esse, in initio vero sæpe satis curabilem, modo signa diagnostica bene perpendantur, corpus cætera sanum sit, robur ægri adsit ac bona instituat medicatio atque diætã; si vero radicans ac confirmatus fuerit morbus, ut plurimum lethalis est, ac periculosior fere ascite ac anasarca; curari tamen aliquando potest, etiam ille qui satis confirmatus est, ut testantur Observationes, imprimis si viscera non nimium sint labefactata, si appetitus non plane prostratus, ac æger nondum senex sit, aut magno labore & molimine, summaque industria hic opus esse comperimus, magnaque in curando requiritur patientia. Id vero dolendum, quod, ut ascitici, sic & nostri hydrofici facile recidivam patiantur, imprimis si continuationem remediorum negligant, ut in sex rebus non naturalibus rursus enormes errores committant; tumque recidiva peior est priori morbo, ac plerumque lethalis, ut in nostro Ægro, qui debitis remediis sic satis bene curatus ex neglectu diætæ & aëris convenientis recidivam passus dein curari non potuit; lethaliior etiam si ascites, vel alius morbus, successerit, si superiora emacientur ac inferiora magis tumeant, gravisque febris superveniens tolli non possit; est ille etiam hydrops pectoris periculosior, in quo urinæ parcissime fluunt, ac sunt intensæ rubedinis cum sedimento rufescente, tum ille in quo respiratio est difficillima, ac qui aliis morbis succedit. Moriuntur vero plerumque suffocati, nimia quantitate feri pulmones ita comprimente ut respiratio omnis cesset; moriuntur etiam hectici aliquando à resorpto acri, aut corrupto pulmone, in quo Casu ante mortem aquam putridam exspuunt; moriuntur etiam aliquando apoplectici, tum ob serum etiam in cerebrum effusum, aut inter ejus anfractus ac cavitates sensim accumulatum, aut ob transitum per pulmones plane impedi-

E

tum,

tum, sicque restagnationem in capite; aliquando etiam convulsi moriuntur, ab acri sero cerebrum & piam matrem irritante; post mortem hinc observatum aliquoties aquam fuisse tenuem, alias serum acre ichorosum, aliquando humorem subalbidum crassum, vel aliquando purulentum & ulcerosum, unde lethalitas morbi nimium progressi facile cognoscitur, ac post miserias longo tempore toleratas variaque tristia symptomata morbo progresso ægros plerumque mori observatur.

## CAPUT QUINTUM

De

### CURATIONE HYDROPI PECTORIS.

**I**N curatione difficilis hujus morbi sequentes sunt observandæ indicationes: primo, colluvies serosa in cavo pectoris aut & pulmonibus, congesta quovis modo est evacuanda; secundo præcavendum, ne de novo serosus latex in cavum hoc effundatur; tertio, humorum & viscerum sunt corrigenda vitia; quarto, symptomatibus occurrendum; quinto, sollicita diæta instituenda est. Omnia hæc quidem difficilia sunt, sed gravissimus affectus potentia acturum requirit remedia. Quæritur jam primo, an externis vel chirurgicis remediis aliquid obtineri possit; De V. Sectione disputant Authores, &, ut verum fateamur ea ad summam rei nihil facit, imo in invalescente omni hydrope nocet, unde & VRATISLAVIENSIBUS & Aliis rejicitur; in plethora tamen præsentem morbo nondum nimis progresso, respiratione difficili urgente,

urgente, eam aliquid boni præstare posse, imo aliquando necessariam esse statuimus. Quæritur, an Paracenthesis thoracis hic conveniat; hanc Aliqui commendant; Alii damnant; commendavit modo illam HIPPOCRATES, tum & SYLVIUS, WILLISIUS cum LOWERO, imo & BOERHAAVIUS in *Aphorismis* §. 1219.; rejicit illam RIVERIUS, PETRUS SALIUS DIVERSUS, atque periculo non vacare statuit VAN HORNE in *Microtechnæ*. Credimus nos cum GOHLIO, eam posse locum habere, licet recidivam non semper præcaveat. WILLISIUS sane habet exemplum notabile hominis per eam operationem curati, vid. ejus *Pharmaceut. Rational. Part. 2. Cap. de Hydr. Pect.* instituenda tamen est tempestivè, antequam morbus moram traxerit, & viscera labem contraxerint irreparabilem. Unde patet eam raro locum habere, cum morbo confirmato non conveniat, in recenti vero vix ad alia remedia, adeoque difficilius ad hanc operationem accedant & ægri & Medici. Quæritur de vesicatoriis, an illa aliquem hic usum habeant; parum illis hic tribuunt VRATISLAVIENSES, interim tamen credimus in leviori malo humores seroso-lymphaticos his à pectore averti, ad partes exteriores duci, & sic respirationem facilitari posse, cum in aliis morbis serosis imo & pectoris affectibus quibusdam, ut aliqua specie pleuritidis & peripneumonix, attenuando & revellendo revera aliquid efficiant, & BAGLIVIO & experientia teste. De scarificatione in tibiis idem sentiendum, cum aliquando juvet, testibus VRATISLAV. *loc. cit.* Atque hæc de externis remediis. Interne per vomitoria, purgantia hydragoga, diuretica, diaphoretica, pectoralia, atque incidentia humoris stagnantis attenuatio & eductio tentanda. De vomitoriis primo quæritur, an conveniant; laudat ea insigniter GILG *loc.*

*cit.*, atque quasdam eorum formulas addit; Respondet etiam ad objectiones, quæ contra emetica in hoc morbo fieri solent vel possunt; credimus vero nos, hic maxima prudentia opus esse, cum ruptum inde œsophagum observaverit BOERHAAVIUS, eaque minus convenire censemus in plethoricis, obesis, ac summa difficultate respirationis laborantibus ob metum suffocationis vel apoplexiæ; concedenda tamen arbitramur in hominibus robustis, quando morbus nondum confirmatus est, nec viscera nimium labefactata, cum & in aliis hydropis speciebus Candidissimus SYDENHAMIUS emetica impense commendaverit, & GILG testetur per experientiam, hoc hydrope affectos curatos fuisse vomitorio aliquos, qui frustra diu aliis remediis usi fuerant. In nostro vero Ægro neque his, neque vesicantibus, neque venæsectioni, neque Paracenthesi locum fuisse prudentes Practici facile concesserint. Jam de purgantibus quæritur, an hæc conveniant; at nec hic voto vivitur uno, alii dubie commendant illa, alii hæc, alii alia commendant: PROSPER MARTIANUS mannam eligit, quam ferositates in pectore stagnantes exturbare credidit, sed manna nostro Ægro nihil adjumenti attulit, videturque in morbo gravissimo debellando esse nimis debilis; PETRUS SALIUS DIVERSUS commendat elaterium & succum radicum sambuci; elaterium quidem ad gr. jv. succum sambuci ad ziß.; FONSECA elaterium damnat, & potius ebuli semina commendat; nos in morbo gravi, ut in omni reliquo hydrope, elaterium cum SYDENHAMIO, LISTERO ac JOHANNE HEN. SCHULTZIO non reformidaremus, si cum prudentia detur; nec rejicimus ebuli semina ad ziß., cum & diuretico & purgante effectum in Hydropicis se commendaverint sæpius; habet etiam hydromel

dromel WILLISIUS ex variis purgantibus non rejiciendum; SYLVIUS hic laudat suum Electuarium hydragogum, LISTERUS Tincturam Sacram, nec gum. guttæ cum Extract. panchymagogo, commendata Ægro Nostro, rejicimus, cum hujus gummi in omni hydrope, si viscera non nimium sint labefactata, summam sciamus esse efficaciam; nec in pauperibus rejiciendus usus succi iridis nostratis, etiam Illustr. FRID. HOFFMANNO non reprobatus in *Act. Med. Berolinensium loc. cit.*; nec rejiciendæ pilulæ ex resin. jalapp., mercurio dulci, WILLISIO efficaces observatæ in hoc morbo; insignem usum præstat squilla GOHLIO *loc. cit.* maximè laudata, imprimis, si cum pulvere rad. vincetoxici & pilulis Becherianis certa proportione misceatur scopo diuretico, resolvente, & simul purgante, ut talem formulam insigniter laudat GOHLIUS in *Compendio Praxeos Clinicae*. Plura purgantia ex Optimis Authoribus concinnari possent, sed nolumus actum agere, nec Formulas numerosas adjicere, cum hæ apud WILLISIUM, GILG, aliosque videri possint; id vero adhuc demonstrandum est, & alia leniora purgantia, & invalescente dein malo pilulas fortiores à Medico prudente Ægro Nostro fuisse præscriptas, licet forte ob invidiam alterius Medici vel potius Pharmacopœi nasutuli & malevoli technas ab ægro non fuerint usurpatæ; credimus enim his vel ægrum curari potuisse forte adhuc, vel certe vitam aliquamdiu prorogatam fuisse, quicquid ignari clamaverint aut invidi obstrepuerint; scimus objici potuisse morbum nimis progressum & viscera debilitata; sed cum accurate sciri non possit semper, quousque labes viscerum progressa fuerit, credimus cum SYDENHAMIO, in casu dubio melius esse tale anceps dare remedium, quam ægrum alias certo moriturum relinquere, aut debilibus remediis ac certo nihil profuturis onerare.

Audia-

Audiamus cautelam GOHLII, qui in *Act. Med. Berolinens* loc. cit. ita graviter statuit: *Purgantium hydragogorum selectiorum usum in consummato hydrope pectoris nullus credo Practicorum Clinicorum damnabit, nisi velit patientem citius à collecta colluvie suffocatum, aut natura spontaneum expectare valorem, quod est ambiguum.* Possemus nubem tertium omni exceptione majorum adferre, sed sic nimium exeresceret *Dissertatio*. Scimus quidem Illustr. FRID. HOFFMANNUM in scriptis suis & ex illo DUTTELIUM in *Tract. de Virulenta Purgantium Indole*, drastica hæc fere rejicere ubique, atque in *Med. Consultatoria Illustris HOFFMANNI* extare Responsum contra usum gum. guttæ in magno Principe ab Famigeratissimo quodam Practico, quem BRUNNERUM fuisse suspicamur, adhibiti epicrisin acriorem fuisse formatam; at facile possemus etiam probare ex scriptis Illustr. HOFFMANNI aliis, & Magni Archiatri STAHLII, circumspectissimi sane Practici, in hydrope gravi concedenda aliquando esse drastica; atque sic BRUNNERI Methodum liceret nobis facile defendere, vel saltem excusare, licet alias Illustr. HOFFMANNUM, Medicum summum, ejusque egregia scripta, veneremur. Sed contra obloquentes & Medicos, & non Medicos, qui credunt falso hydropem pectoris vix in millesimo curari, nolumus operosius disputare, cum, ubi rerum testimonia adiunt, non opus sit verbis, nec indoluit Medicus mihi notus, qui gum. gutt. ab alio propositum approbaverat, sibi accidisse idem, quod BRUNNERO, cum magno Principi gum. gutt. tandem frustra dedisset, quem alias diu contra multorum opinionem conservaverat. Sed invidia Medicorum, & qui hisce aliquando se associant, Pharmacopœorum nimium sapere volentium tales excitat rumores, qui ægre ferre possunt, errores

errores suos in apricum sæpe produci, & alios doctos Medicos simul consuli. Quis prudenti Medico vitio verteret, si omnes non curet hydropicos, atque post fortiora adhibita in spem salutis si aliquis moriatur, causam impitet Medico; Sed satis de his, nec ægre feret Lector, hanc Dissertationem, quam hoc loco pro fama & honore Professoris & Præceptoris mei, qui Casum nostrum cum circumstantiis elaborandum communicavit, adjicere non inconsultum duxerim. Unum adhuc de purgantibus addimus, quod nobis non obstet RIVERII cautela, qui, quod purgantia non semper juvent, ideo inquit caute agendum esse, & in minori dosi, atque iteratis vicibus medicamenta exhibenda esse, eaque cum potentioribus aperientibus ac diureticis miscenda, ut simul viæ aperiantur, & ferosæ materiæ portio ad urinæ vias deducatur. Cum hoc factum esse à Medico, ex ipsa historia morbi abunde constare possit. Sequuntur diuretica ab omnibus egregiis Practicis in hoc morbo commendata, imprimis quæ convenientia in debilioribus, aut ubi purgantia uti in aliquibus fit, non succedunt. Pertinent huc ab Authoribus commendata salia media non nimis acria, tum & rad. vincetoxici STAHLIO laudata, atque imperatoriæ, GOHLIO commendata, Raphanus item rusticanus, rad. ari, bardan. sem. dauci itemque terebinth. BENEDICTO maxime laudata, atque millepedes WILLISIO maxime laudati, ut ex sal. succini volatilis, ejusque Essentia. Qualia in pilulis ut & in pulvere à POMPEIO SACCO in *Med. Theoret. practica* præscripta sunt. Infusa etiam vinosa cum cineribus, SYDENHAMIO commendata; tum & Liquor terræ foliata Tartari, item Tinctura & sp. Tartari, quæ & similia Ægro Nostro in primo morbi insultu manifestissime profuere, & curam felicem promoverunt; certe Maximilianus

lianus Secundus Imperator ab illis plurimum commodi fen-  
 sit, qui cum pectoris hydrope cum cordis palpitatione ad  
 annos 20. laborasset, uno interdum die ad 6. libras aquæ  
 minxit, cumque motus ille materiæ impeditus esset, tan-  
 dem suffocatus est, ut refert CRATO, illius Archiater;  
 id vero cum GOHLIO notandum, quod, quo potentiora  
 sunt diuretica adeoque serum nimis confertim ad renes pel-  
 lant, eo periculosiora sint in casibus, ubi viscera admodum  
 obstipata esse ex circumstantiis certe præsumitur. Unde  
 merito monent VRATISLAVIENSES, cum LISTERUS  
 diuretica rejiceret in Wilhelmo Tertio Angliæ Rege, in  
 quo hydrops pectoris à Medicis meruebat, quod pru-  
 dens circumstantiarum consideratio facile ostendere possit,  
 quænam in usum vocari queant, & quænam in ægro no-  
 xia esse possint, nam cum febris & sitis multa, vel & ali-  
 quid nephritici cum hydrope pectoris conjunguntur, for-  
 tiora diuretica abesse debent, ac potius tum ocul. cancr.  
 citrat. lapid. percar. nitr. depur. & antimoniat. Tartar. so-  
 lubilis, liquor Terr. foliat. Tartari, & similia, conve-  
 niunt. Leniora etiam diuretica sunt succ. raphan. fraga,  
 Bacc. alkekengi, tum & infusum SYDENHAMII, quod  
 debitis aliis mixtum Ægro nostro non multum adhuc fi-  
 tienti aut febricitanti summum levamen attulit. Sane  
 PREUSSIUS, Vratislaviensis Medicus, Ess. gum. am-  
 moniaci & sero lactis caprill. curavit sceminam illustrissi-  
 mam, aucta hinc notabiliter diuresi & euphoria succedente  
 in hydrope pectoris & pedum, qui uterque una cum sym-  
 ptomatibus concomitantibus hinc egregie cessaverit & dis-  
 sipatus fuerit; ubi tamen iterum serio monent VRATIS-  
 LAVIENSES, hic cum impetu rem non esse agendam,  
 sed moderato & continuato ulu opus esse, præmissis & in-  
 terpositis laxantibus, sine quibus usus diureticorum nun-  
 quam

quam tutus est; quod & video à WILLISIO commenda-  
tum, qui purgantia, diuretica & diaphoretica mitiora me-  
thodice & per vices exhiberi vult; atque hæc de diureticis  
sufficiant. Ad diaphoretica jam transimus. An convenient,  
jam quæritur, ubi notandum, quod illa, imprimis & for-  
tiora, orthopnoicis & summa cum angustia spiritum ducen-  
tibus non convenient, interna vero temperata, vaporosum  
halitum per universum corporis habitum excitantia, & per-  
spirationem augentia insigniter prosint, quo scopo imprimis  
in vegetioribus cum & ea fluxilitatem & attenuationem  
concilient, lympham tenacem resorbent, ac obstructio-  
nes reserant; multum sane his fidei SYLVIUS, commen-  
dans aquas theriacales, ac decocta lignorum, juniperini,  
sassafras, guajaci, radicis imperatoriae, petasitidis, fol.  
scord. scabios. taraxaci, fl. sambuci, qualia & à BENE-  
DICTO & WILLISIO commendantur; huc spectat sp.  
Tartari, simul diaphoreticus & diureticus.

Si febris adsit, temperatissima sudorifera prudenter sele-  
cta & iterato exhibita convenient, imprimis ex Rob. sam-  
buci, ebuli, juniperi, sale absynth. similibusque; sciendum  
est enim fortiora exagitando nocere posse, teste FONSE-  
CA, GOHLIO Aliisque; moderata vero perspirationem  
augere & vasa resorbentia aperire, cum semper perspira-  
tione inhibita pejus habeant ægrotantes. Quæritur, an  
pectoralia aliquid faciant? certe ad glutinosos humores re-  
solvendos, sperm. cet. benzoe, scabios. hyssop. marrub.  
alb. capill. veneris aliaque resolventia prodesse possunt,  
tussim mitigando & attenuando; dulcibus vero expecto-  
rantibus oleosisque nimium, ut oleo amygd. d., syrupis  
dulcibus aliisque bechicis locum non concedimus, nec  
balsamo sulphuris anisato aut terebinthinato, tanquam re-  
mediis plus commoventibus, quam promoventibus; ast

laudem hic meretur ammoniacum gummi, resolvente pectorali efficacia in asthmaticis nobilitatum, ut & oxymel squillitic., quo Celeberrimus CAROLUS PATINUS cum Manna sumpto ipse hoc morbo laborans se solari consueverat; videantur *Misc. Nat. Curios. Decad. 3. anno primo.* Alia pectoralia vulneraria & lenia stringentia cum GOHLIO non adeo laudamus. Atque hæc primaria evacuantia sunt remedia, quæ & simul alterando agunt pleraque, imprimis squilla, teste STAHLIO & GOHLIO in hoc affectu efficacissima, tum & alia superius recensita. Secundam indicationem diximus esse, ut evacuato sero præcaveatur, ne de novo serosus latex in cavum hoc effundatur, quod vero maxime fit tertia indicatione observata, qua humorum & viscerum simul correctioni insudandum esse diximus. Igitur obstructions referendæ sunt, humores corrigendi & viscera deinde roboranda; quo faciunt HB. absynth. cent. min. rad. pimpin. ari, helenii, vince-toxici, acori & similia; ex salibus sal absynth., & Tartarus vitriolatus, maxime vero laudem merentur, testibus VRATISLAVIENSIBUS, GOHLIO & STAHLIO, pilulæ ex extractis selectioribus, quales superato morbo Ægro nostro præscriptæ sunt. Flores bellid. min. WEPFERUS commendavit, jusculis carniùm mistos, teste HARDERO in *Apiario.* Obstructions referat ammoniacum gummi, eo scopo & Ægro Nostro sub cura feliciter datum; Quæritur, an martialia hic convenient, à GILG laudata; credimus in alio hydrope in fine ea non esse rejicienda ad roboranda viscera & restituendum tonum, at in pectoris morbis ea stringendo & irritando minus convenire arbitramur. Hinc potius alia tonica securiora simul resolventia, ut Tincturam Tartari & Ess. succini Ægro Nostro data commendavimus, ut & stomachica, qualia sunt imprimis

primis hic convenien  
absynth. & cort. m  
plera. Quartam  
matibus occurrat  
mitigari debeat  
urget, quo calu  
cola etiam BRU  
moniaci acilatu  
mediis, quæ m  
tor; in eo tam  
laterum & re  
venælectionem  
& in plethori  
commendat,  
in pectore s  
Emulsiones  
ut & ad febr  
nere Cortice  
rum, aut nitra  
Italo, in *Congl*  
VIENSES hic  
febrilia tum tan  
humor ulcerat  
Guajaci in hom  
SES. Ad suff  
num, ubi pler  
validioribus p  
ce. mofus da  
factus aut sp.  
littocam in sol  
aliquos mibit  
WIG, luan

primis hic convenientia, pulvis stomachic. Birckm., Eff. absynth. & cort. aurant. Eff. gentian. & tanacet. aliaque plura. Quartam indicationem diximus esse, ut symptomatibus occurratur, si illa urgeant, ac ob exacerbationes mitigari debeant; imprimis respiratio difficillima aliquando urget, quo casu poterunt convenire sperm. ceti, potiuncula etiam BRUNNERI ex gum. ammon. vel sp. salis ammoniaci anisatus ad paucas guttas. Non vero omnibus remediis, quæ nimis copiose GILG præscribit, opus videtur; in eo tamen sequendus ille, quod suadeat in dolore laterum & respiratione difficillima recurrendum esse ad venæsectionem in brachio sine mora celebrandam, quam & in plethoricis ad recidivam præcavendam non ineptè commendat, putatque sic impediri optime, ne nova fiat in pectore serosa colluvies. Ad dolorem lateris etiam Emulsionem ex card. mar. semine aliquando convenient, ut & ad febrem urgentem, cui certe non audeam opponere Corticem Peruvianum, nec Crocum martis aperitivum, aut nitri spiritum, licet ea à POMPEJO SACCO, Italo, in *Consiliis suis* commendentur; VRATISLAVIENSES hic magis sequimur, ac potius temperata antifebrilia tum laudamus, alibi modo commendata; si acris humor ulcerationes & erosiones tandem fecerit, decoctum Guajaci in humidioribus commendant VRATISLAVIENSES. Ad suffocationis metum & periculum præsentissimum, ubi plerumque aliquid convulsivi adest, conveniet in calidioribus pulvis temperans STAHLII, imo & sperm. cet. copiosius datum, in frigidioribus vero liquor C. C. succinatus aut sp. Bezoardicus BUSSII. Ad præcavendum suffocationis insultum, aliquid conferre fenum nicotianæ aliquot notabilibus exemplis didicit CHRIST. DE HELWIG, summus ille Vratislaviensium Medicus. Alia sym-

ptomata accidentia possunt tractari ut morbi particulares. Quinta tandem indicatio sollicitam Diætam requirit, tam sub ipsa cura, ut remedia melius juvent, quam post superatum morbum, ne recidiva oriatur, facile alias secutura, & plerumque funesta, ut in Ægro nostro accidit, qui ex hujus neglectu recidivam passus, priori morbo graviolem, periit, ubi sane frustra & malitiose Medicis culpa imputatur, quasi nimis actiuosa & fortia adhibita sunt remedia, quando æger moritur, cum Medici sapientis sit, omnem lapidem movere, ut ægros seruet, & extrema etiam in morbo gravissimo adhibere atque tentare remedia; Quoniam vero Diætam summe necessariam in legitimo usu 6. rerum non naturalium consistentem satis bene tradidit GILG *loc. cit.*, nos ad finem properantes ex eo maxime eam trademus, tantum indicaturi, ubi dissentendum ab ipso esse credimus. Laudat sic aërem temperatum, serenum, tenuem ac purum; damnat vero intense frigidum, pectori inimicissimum, & pluviosum nimisque ventosum, imprimisque autumnalem & hyemalem, qui hinc Ægro nostro mali reditum accelerasse censendus est. Laudat cubicula versus Orientem jacentia; Deinde Cibos boni succi & facilis concoctionis, uti sunt juscula ex carne bovina & gallinacea, quibus sunt incoquendæ rad. aperientes, ut petrosel., apii hort., scorzoneræ, tragopog., cichorii; jusculis potest incoqui, panis albus, avenacea, hordeum & farinacea secalina; minus vero laudamus oryzam ac ova; censemus potius convenire pruna arida, ac cynosbati fructus; ex leguminibus & oleribus conveniunt turiones lupuli ac asparagi, rapunculus, petroselinum, endivia, faba viridis, rapa alba, ac pastinaca præcox, brassica rubra ac cauliflora, raphanus rusticanus; minus vero convenit brassica crispa & capitata, ac pastinaca vetusta, tum & fabæ & phaseoli,

phaseoli , atque pisa sicca , nec conveniunt adeo lactici-  
 nia , nec ova duriora , nec pultes farinacei crassiores , nec  
 placentæ ex farina fagopyri , aut & tritici . Ex carnibus  
 permittitur bovina junior , agnina , vitulina & vervecina te-  
 nera , duriolem vero vervecinam & nefrendem , à GILG  
 laudatum , propter viscositatem carnis non probamus ; nec  
 ex avibus laudamus anserem aut anatem , sed concedimus  
 gallinas & illarum pullos , capones , columbas , gallos In-  
 dicos juniores , alaudas non nimis pingues , turdos , per-  
 dices , imprimis rostratas ; ex piscibus concedimus truttas  
 teneriores , lucios juniores , fundulos , gobios , & can-  
 eros fluviatiles ; ex feris lepus non rejicitur . Ordo ci-  
 bandi etiam est observandus , jentaculum rejicit GILG &  
 prandium ac cœnam sufficere putat ; nocet vero etiam in-  
 signiter cœna plenior , cum somnum turbet , & altero  
 mane plerumque graviora symptomata ægros affligant ;  
 potum Thee moderatum , non nimium concedimus ; infu-  
 sum vero Caffè saturatius non laudamus ; potus sit cerevi-  
 sia bene defœcata , nec nimis vetusta , aut & vinum diu-  
 reticum , Rhenanum bonum vel Mosellanum . Minus verò  
 conveniunt acidulæ , etiam temperatissimæ , unde neque  
 Emsentes , neque Selteranas , hic laudare possumus ; at ni-  
 mius potus , inquit GILG , imprimis vini , vehementer  
 nocet , & proximam huic exitiali morbo sternit viam , quod  
 & in Ægro Nostro observatum est abunde ; Motus & quies  
 sint justæ moderationis , ac in malo minus confirmato aut  
 & superato prodest motus , nocet quies nimia , nam seden-  
 taria vita doctos sæpe hoc malo afficit ; imo & multum  
 conferre potest ad hunc morbum , quod Eruditi libris in-  
 cumbentes incurvati & proni plurimum sedeant , unde vi-  
 scera comprimuntur ; prodest hinc motus ambulationis ,  
 vectionis , imo & equitationis , SYDENHAMIO ,

STAHLIO, BOERHAAVIO in multis morbis rebellibus merito laudatus, si non nimis sit vehemens, ac instituat in aëre puro, sereno, non vero uliginoso, frigido, humido, ventoso, pluvioso; malo vero inveterato sollicita diætata ac moderata quiete in WEPFERO, teste BRUNNERO malum quidem leniri, atque per unum aut alterum annum protrahi potuit in sene, qui alias exactissimus diætæ observator semper fuerat; ita hujus exemplo commonefacti Medici, test. VRATISLAV. *loc. cit.* exactissimam ægris suis diætam in hoc morbo studiosissime commendabunt, memori semper mente sub pectore gerentes illud tanquam ex tripode profectum LUCÆ TOZZI, BAGLIVIO laudati Doctissimi Itali, oraculum! *Si quod juvamen unquam huic morbo sit adfuturum, certe ex diætata exactissima illud solum sperare licebit, indicto nimirum victu attenuante & exsiccante; Imo ne hic quidem solus sufficit, sed & parcissime cibus ejus generis velcantur ægri, ac juxta prudens PETRI SALII DIVERSI monitum, merum in minima quantitate bibant; ira & terror maxime nocent hisce hydropicis, ac magnam sæpe febrilem perturbationem excitant; somnus sit temperatus, 7. vel 8. horarum; diurnus vero ac pomeridianus summe nocet & facile hunc pectoris morbum infert. Vigiliæ non nimis debent esse protractæ aut excessivæ, ut & nocturnæ lucubrationes, vel post somnum non sufficientem antelucanæ; Venus post coenam largam, aut computationem, instituta, penitus est noxia & perniciosa. Atque hæc de Diætata sufficiant. Mirum igitur non est, quod Æger Noster in hunc morbum incidit, diætæ negligens, & quod recidivam passus sit lethalem, à Medicis sapientibus bene curatus, quodque mortis causa & culpa, ut nubes Testium & Authorum omnia testimonia confirmant, non vero culpa Medicorum, vel*

et Medici, alioquin  
 terierit; sed hæc  
 o indocilis despicio  
 sine mori dicant  
 borum gravitat  
 lunias contem  
 hanc morbi diffi  
 vibus elaborass  
 fieri potuisse,  
 studui, si forte  
 Cravero, aliqu  
 los Lectores  
 hanc

COP

1. Sine motu  
 tional
2. Anatomia
3. Inspecionem  
 & aliquam  
 defendemus
4. Lunam non s  
 (enam conti
5. unum per se
6. Felicitatem  
 pñsior.
7. Vasa sicut  
 mori,

vel Medici, alicujus ut malevoli ac calumniatores voluere, interierit; sed hæc fundi nostri calamitas est, quod Docti ab indoctis despiciantur, ac Medicorum culpa ægri sæpissime mori dicantur, qui suo fato, vel incuria, vel morborum gravitate pereunt, unde cavillationes has & calumnias contempnunt Sapientes; Suffecerit mihi Casum hunc morbi difficillimi, à Professore communicatum, pro viribus elaborasse; agnosco facile hoc accuratius & doctius fieri potuisse, sed mihi juniore Medico, dum brevis esse studui, si forte erravero, aut non satis erudite rem pertractavero, aliquid condonandum censeo, quod & Benevolos Lectores facturos confido, sicque Dissertationem hanc, atque casus hujus resolutionem,

F I N I O.

---

COROLLARIA ET ANNEXA.

1. **S**ine notitia fabricæ corporis humani nemo Medicus rationalis dici potest.
2. Anatomie Artis Medicæ & fundamentum est & decus.
3. Inspectionem urine Medico Practico necessariam esse, imo & aliquando signa prognostica ex ea dijudicari posse, defendemus.
4. Lienem non solum non inutile viscus, sed quoque ad vitam sanam continuandam summopere necessarium esse statuo.
5. Somnus per se post venesectionem non malus.
6. Venesectionem & in puerperis & in senibus administrari posse assero.
7. Venesectio prima non semper liberat à magno morbo, vel morte, ut vulgus credit.

8. Repetitio